



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. II LITTERAE APOSTOLICAE **CULTUM SANCTORUM** BEATA VIRGO MARIA, SUB TITULO
«DE MERCEDE», ATQUE SANCTUS
FRANCISCUS SOLANO CONFIRMANTUR ALTERA PATRONA PRINCIPALIS,
ALTER SECUNDARIUS PRAELATURAEE FUNESIOPOLITANAEE, IN ARGENTINA Ad perpetuam rei memoriam. –
Cultum Sanctorum maxime vero beatae Mariae Virginis, castissimae Dei Matri, Ecclesia catholica non modo ab usque
primaeva sui aetate probavit, sed et fovit et aluit: nam Dei amicos Deique Matrem invocari in necessitatibus, et honorari
tamquam studiosissimos legum divinarum custodes in via mandatorum praeueentes, id profecto nonnisi utile Ecclesiae
est, quae per aspera ad immortalem patriam peregrinatur. Qua re, cum fideles praelaturaee Funesiopolitanae ob antiquam
religionem erga B. V. Mariam de Mercede, atque Sanctum Franciscum Solano, illam quidem Patronam principalem, hunc
secundarium elegerint suaee Ecclesiae; cumque Venerabilis Frater Lucas Donnelly, Episcopus-Praelatus
Funesiopolitanus, id probaverit, atque a Nobis petierit rem confirmari, ad normam «Instructionis de Calendariis
particularibus atque Officiorum et Missarum Propriis recognoscendis», n. 30; Nos fore confisi ut concessus honor
pietatem erga tantam Matrem atque Dei Servum Franciscum Solano in pectoribus aleret, bene fieri censuimus, si
admotae expostulationi concederemus. Cum ergo constet omnia ad iuris leges esse peracta, iis probatis quae Sacra
Congregatio pro Sacramentis et Cultu Divino factis olim potestatibus de re statuit, placet beatam Mariam Virginem de
Mercede Patronam principalem, Sanctum vero Franciscum Solano Patronum secundarium haberi et esse praelaturaee
Funesiopolitanae, cum iuribus atque privilegiis quae rubricae faciunt. Contrariis nihil obstantibus. Quod ut felix, faustum
fortunatumque sit sive sacro Praesuli, sive clero atque populo Funesiopolitano, a Deo petimus. *Datum Romae, apud S.
Petrum, sub anulo Piscatoris, die IIII mensis Februarii, anno MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri quarto.* AUGUSTINUS
Card. CASAROLI, a publicis Ecclesiae negotiis © Copyright 1982 - Libreria Editrice Vaticana